

## FRANCISCVLI PRANDIUM (5)

FRANC. — Quid proloquar mendacium?.. Sed tamen...

HIPP. — Ecce de integro quod omnino prohibui. Potin ut desinas? Patiar ut satis superbe me illudas?

FRANC. — Da mihi hanc veniam, ignosce...

HIPP. — Ut aliud huius generis quam primum renoves?

FRANC. — (Quo pacto munuscula mea ei exhibeam?)

HIPP. — Mussitas? Depromas potius quae opus sunt; instat enim stomachum restaurandi hora, et ego non pauxilllam in ipso gesto famem.

FRANC. — In procinctu omnia. (*Exit, redditque paulo post cum iis quae in mensa deerant, omniaque apte disponit.*)

HIPP. (secum loquens) — Taedet me dicere severum eadem millies huic pueri, et citra voluntatem. Attamen si laxas ei darem habenas, sumptum pro me faceret ex omni sua parsimonia; quod quidem permittere et nolo et nequeo.

FRANC. — Et tu nunc, domine mi, quid mussitas tecum?

HIPP. — Quae male docet te mea facilitas multa.

FRANC. — Hoc bona pace teneas, quod ingenuos mei animi sensus cohibere frustra praesumpseris.

HIPP. — Bombax!.. Atqui persuasum habeo occentatores illos a te magna mercede fuisse conductos...

FRANC. — In mentem ex adverso inducas, illos amicos fuisse meos, qui libentissime milii accesserunt, quo te celebrarent. Quod si praescissem honorem quem tributurus eras mihi, ut ad mensam tuam ipsam me hodie vocares, cre-

das insuper futurum fuisse ut eorum numerus a me duplicaretur (*Ad mensam instruendam redit.*)

HIPP. — (Eripit hic puer mihi orationem in ore. Atque tamen oportet ut rigidam apud eum faciem ostendam. Gravitatem igitur sumamus) (*Ad mensam accedit.*) Eequid cochlearia pedunculis inauratis et cultri manubriis argenteis non video? Quadra una, non plures, cuique hie apparata est, quas permutare ad singulos missus oportet... Vas refrigeratorium, in quo oenophorum et canthari deponantur, frustra oculis perquiro, dum aestus hiulcat agros... De sale in pila contuso salinum usque ad oram impletum haud est, ut convenit... En occentationis effectus!..

FRANC. — Quaere argumenta si potes alia, herorum optime: haec enim Francisculo, qui tuam indolem apprime horit, compedes minime impingunt. (*Couquinam ingreditur.*)

HIPP. — (Nec is quidem lusciosus est, nec mea est simulatio. Cantus profecto est mihi mutandus, ni velim e certamine victus discedere).

FRANC. (rediens cum pullo Indico). — Hinc prorsus desumenda contra me argumenta! Vide ut perbelli adustus est!

HIPP. — Quantumque, inquam, redoleat!

FRANC. — Ah! ah! Et Vincentius ille qui nucleum sumpturus erat, milique pignori relinquebat putamina!..

(*Ad proximum numerum.*)

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

## ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) *ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ⚡ ⚡

## IN MEMORIAM GUIDI BACCELLI

GUIDUS BACCELLI, quem omnes nuper Itali cives atque advenae defunctum illacrymarunt, Romae natus est honestis parentibus, anno saeculi elapsi trigesimo secundo. Hic quantus fuit, totus Romanus fuit. Nec enim solum iure romanum fecerat Urbs, in qua natus est atque educatus, sed ipsa egregia corporis forma et antiqua illa animi magnitudo, ob quam populus olim gentium dominator in primis celebratur. Quis enim, talia fando, ad mentem non revocat nobilissimum Vergilii versum, qui Romanos aetatis sua graphicè depingit:

*Romanos rerum dominos gentemque togatam?*

Ipse, quum primum e pueris excessit, celeritate ingenii subito inter aequales excellens, omnium doctorum animos sibi facile devinxit. In Collegio Romano, ad quod illa tempestate complures iuvenes vel ab exteris nationibus, florescentes ingenio studiorumque desiderio, fama doctorum acciti atque multis magistriis, convenire consueverant, integrum litterarum curriculum atque graviorum artium magnis cum laudibus perfecit.

Quo nomine, vel a iuventute ad sum-

mum dignitatis honorisque pervenit; et illico, solerti ac penitiore naturae studio et litteris clarus, in Romano Athenaeo, omnibus doctoribus adclamantibus, medicinae doctor est proclamatus; atque haud ita multo post eamdem scientiam maximo cum decore tradidit. Namque singulari consilio atque industria magnam sui exspectationem, quam primum sibi concitaverat, citra invidiam sustinuit. Quin imo pluribus editis operibus, in quibus effigiem animi sui reliquit et summum suae disciplinae cultore facile se principem revelavit, in pleraque eruditorum collegia ultro atque certatim fuit cooptatus.

At in primis romanam veteranum elegantiam protinus ita manifestavit, ut omnes intelligentis iudicii viri egregiam styli magnitudinem quam in omnibus prae se ferre studebat, maxime admirarentur magnisque laudibus ad caelum efferent.

Quod enim Quintilianus de Aulo Cornelio Celso narrat, non solum ipsum de philosophia, de iure civili et eloquentia scripsisse, sed amplius rei militaris et rusticae etiam et medicinae

praecepta reliquisse, nos, mutato nomine, de Guido Baccelli propemodum dicere profitemur.

Etenim in operibus de arte salutari, intima medicinae penetralia subiit, occulta, complexa et involuta sic aperuit, ut firma hinc valetudinis praesidia peti possint.

Verum hac de re peritorum iudicium esto. Ad nos quod attinet, satis sit dicere, ut Celsus concinna et eleganti scribendi ratione maxime honestatur, et iure meritoque *Medicorum Cicero* est appellatus; sic noster vel in libris editis, vel in acroasibus quas ad discipulos habebat, sive italice loqueretur, sive latine, ad Ciceronis magnitudinem respiebat atque ad eius maiestatem ad surgere identidem videbatur. Ciceronis elegantiam naturalem ei fuisse ac veluti ingenitam, splendide, sed iam mutatis temporibus, ostendit in magno Medicorum conventu, qui ex omnibus dissitis terrarum partibus, Berolinum olim, scientiarum nomine, convenerant; et ipse, ut loqueretur citra opinionem undique rogatus, simplici illa elocutione eademque sublimi, ita est exorsus universis ad clamantibus atque plaudentibus: Latinus latine loqui!

\* \*

Hactenus de Guido Baccelli diximus florente adhuc admodum aetate, sed iam gloria honoribusque illustri et in Urbe omnium populorum regina atque divinarum artium magistra. Quum autem res novae in Urbem sunt ingressae, ipse adsurgentibus temporibus indulgens, vita quemadmodum umbratili relicta, dum omnia circum perturbantur ac permiscuntur, a fluctibus civilibus abripi est passus. Si vero ad rem publicam propius

accedit atque summo cum honore orator legibus ferendis a populo delectus, haud se medium gerit, certus tamen patriae servire, qualem praestare se instituerat, talem usque ad exitum servavit; et religionem, quam ex animi sententia domi profiteretur, libero ore sapienterque publice defendere non dubitavit.

In omnibus singulari fuit industria, navus, laboris adeo patiens, ut vel in maximo honorum culmine diem saepe noctemque rebus gerendis continuaret. Ut erat in adversis constans, sic in summa fortuna modestus, aevi prioris exemplar exstitit. Prae ceteris, quum primum ad studiorum apud nos gubernacula sedit, antiquae veluti Urbis gloria mirifice abreptus, ut divino numine ad eam reipublicae dignitatem esset vocatus, in Romanorum antiquorum cultum instaurandum atque in eorum magnitudinem comparandam totis viribus incubuit. Ad eorum semper exemplum homines hortabatur, atque ut adolescentuli ex Romanis scriptoribus deorem dicendi atque puriorem dictionem copiosius haurirent, exemplo suo omnes incitabant. In ipsis enim concionibus ad oratores populares, elegantia eloquii sibi maximam auditorum attentionem conciliabat; quod gravis ubique sententiis, dum maxima sagacitate in rerum causas inquirit, singulari quodam dicendi genere uteretur, eleganti, presso et roboris pleno. Ceterum, in omnibus eius orationibus romana virtus eluet, quam non aliunde quam ex ipsa sua patria natura feliciter expressit.

Quadam die unus e popularibus oratoribus eum arrogantius carpere visus est, quod tertio vel quarto summus studiorum moderator religiosis quibusdam permisisset, ut eorum alumni publice pericula in suis scholis facerent. Tunc

fando, quaestio gravis atque improvisa de religione exorta est. Dum alii de remoleste queruntur, alii de tristi admisioni sorte pertimescunt, ac propterea illum se neutrum gerere exoptant sicque rem ingratam facile devitaret, ipse tum religionem suam altissime testatus, apertis sententiis omnes monitos voluit, eos praesertim qui iuventutem ad scientiam atque ad rectam disciplinam informare velint, religiosos in primis se praebeant. Sic, ut Taciti verba paullisper mutuem, sanctius et reverentius ille habuit de Deo credere quam fastidiose scire.

\* \*

Ob eius pro antiquitatis monumentis amorem, multa equidem in omnium admirationem reviviscunt. Divino enim quodam instinctu agitatus, maximo studio Urbem decorandam curavit, sepultasque antiquitatum divitias conquisi vit. Pantheon a M. Agrippa consule exstructum, deiectis aedificiis adspectum foedantibus, cultuque addito, in pristinam formam restituit. Quin imo, eius opera, in posterum viator, qui Urbis memoriam perlustret, oculis suis vetera monumenta conspiciet, et veluti in veterem Romam ingredi putabit; atque admiratus iisdem veluti verbis Ovidii repetet:

*Haec sunt fora Caesaris;*

*Haec est a sacris quae via nomen habet....*

*Hic locus est Vestae, qui Pallada serrat et ignem*

*Hic fuit antiqui regia parva Numae.*

*Porta est ista Palati;*

*Hic stator, hoc primum condita Roma loco est (1).*

Fautor optimarum disciplinarum, magnum Lyceum pro artis salutaris cul-

(1) *Tristium*, El. VI.

toribus loco illustri constituit, omnique instrumento ex recentiorum inventis romanis cultu exornandum curavit.

\* \*

Ad rem agrariam forti quoque studio respexit, Italosque universos accivit, curavitque ut adolescentuli non dictatis modo in umbra erudirentur, sed ita rusticis laboribus indurati, Italicae prosperitati in colendis agris faverent. Namque, auctore Plinio seniore, suis praedicare haud desivit: « Omnia rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius ». Hac nempe voluntate ducente, solum illud immensum, quod circa Urbem est, diu tam advenis triste atque Italis incommodum, erat nostro grave utique molestiae pondus ac perpetuum ad incolendum incitamentum. Ipse enim optime noverat et frequenter atque argute cum ceteris dissebat, illic olim urbes nobiles exstisset et agros a quibus agricolae nimiam segetum copiam referre consuevissent. Et semel atque iterum inter ipsos referebat, quod Horatius cecinerat:

*Regis opus, sterilisve diu palus, aptaque remis,  
Vicinas urbes alit et grave sentit aratum.*

\* \*

Semper, uti diximus, vel quum ad oratores populares diceret, vel in senatu, vel in scholis, tanto sententiarum delectu, tanto sermonis nitore atque abundantia commendabatur, ut omnes hominis eloquentiam summis laudibus celebrarent. Omnem vero rem vel indictam vel inopinam concinna assidue et perspicua et commoda oratione splendide exornabat. Hoc ei erat in votis, ad hoc maximo studio tendebat, ut omnia romano more procederent. Ubi primum vacuus erat

a publicis negotiis, et senex iam atque angustiis pressus, ad intermissa studia hilaris se conferebat:

*Humanaeque memor sortis, quae tollit eosdem  
Et premit,*

hominum saevitiam atque ingratum animum cum dignitate sustinebat. Recti pertinax, at comis atque officiosus, vitae puriter actae hoc etiam documentum dedit, quod morbo correptus adventatem mortem, sanctissimis religionibus haud timide perfunctus, placidissime stans excepit.

Eius funus acerbum fuit patriae, grave bonis omnibus, luctuosum suis, tam cari capitis desiderio infelicissimis. Verum vel hoc tempore tot rerum vicissitudine tetrico, GUIDUS BACCELLI posteritati narratus et traditus erit superstes.

Obiit octogenario maior d. x mens. Ianuarii MCMXVI.

ALMA ROMA.



## GUIDI BACCELLI Oratio

habita in conventu medicorum universali Berolinensi  
an. MDCCCXC.

Amplissimi Viri, Conlegae humanissimi!

Equidem non sperabam fore ut in tanta doctissimorum hominum frequentia, qui ex transalpinis ac transmarinis regionibus huc convenere, mihi, inter latinos, oratoris pars esset suscipienda ut breviter apud vos verba facerem.

Latinus latine loquar.

Non sum quippe nescius complures

adesse hac tempestate, qui romanae linguae, utpote intermortuae, valedicendum esse arbitrantur; vernaculae nobis datas quibus tum in publicis tum in privatis rebus agendis utamur.

Ast ego coram vobis memoria teneo, gloriosum istud idioma nostrum quondam fuisse scientiarum vinculum internationale, dum praesertim in urbe loquar, in qua summi viri inter philologica studia omnem vitae cursum transegerunt; in qua latina exemplaria nocturna versata manu, versata diurna propemodum quotidie ab eruditis teruntur; in qua demum linguae omnes medullitus ac radicitus perlustratae, veluti per propriam histologiam coram enectioribus, mirificis studiis atque animadversionibus declarantur.

Quare hoc modo gratias agam Germanici huius Imperii atque Borussiae regni consulibus, primo, inter Berolenses, civi, Praesidi Societatis medicorum Germanicorum, qui hospitalem nobis nobilissimum animum aperuere, et conlegis humanissimis, qui me nil tale merentem oratoris munere honestatum voluerint.

Conventus medicorum hic noster vix erit hercule cum altero comparandus, si argumentis iis indulgere mens sit, quae vobis discutienda proponuntur a doctissimis viris, inter quos eminent Rudolfus Virchowius, medicinae universae deus et lumen.

Post haec, laeti libenter agamus, Terentiani illius effati non immemores: « nihil esse tam difficile quin quaerendo investigari possit ».

Quotquot estis conlegae, sodales, amici in hac decima et gloria Berolinensi Olympiade salvete - valete - excelsius!



## GUIDUS BACCELLI latinitatis adsertor

Guidus Baccelli, vere *Civis Romanus*, latinitatis adsertor acerrimus fuit; atque ideo summopere et indesinenter contendit ut latinus sermo communis inter viros doctos fieret et lingua apud ipsos universalis. Quum igitur sapientum alicui ex omni natione conventui interesset, sive in aditibibus orationibus quas uti praeses haberet, sive in aeroasibus, latine semper loquebatur. Quin etiam, vel de medicis rebus seribens ad exteris collegas, ne tunc quidem a suo itinere, quod regium sibi ceterisque proposuerat, aberrabat; eratque eius stylus, vel in difficillimis argumentis abstrusisque rebus, planus, simplex, nec sine aliquo robore item avenusta concinnitate.

Exemplo sint litterae, quarum specimen hinc referimus, et sunt *de primitivo splenis carcinomate* (histologice, *lympho sarcomate*), datae an. MDCCCLXXVI Eduardo Rindfleisch, in Universitate Studiorum Heribopolitana anatomes pathologicae professori: « Raram — sic ille, — splenis cancerosam primitivamque affectionem, quam scholastico anno nuperime emenso inter aegrotos in meis aulis offendi, et cuius diagnosim feliciter pronuntiavi, ad Te, sodalis atque amice Rindfleisch, lubenter transmitto, ut Clinices atque Anatomes pathologicae necessarium foedus initum, firmum in dies sanctumque sit.

Quod si tua mihi comitas confirmavit, Italiam ut Scientiarum matrem cui libet docto Germanico viro caram et honorabilem esse; ratum habe, unumquemque Italum Germanicos, tamquam

omnigeni progressus praecipuos actores sympathica benevolentia singularique observantia prosequi ».

Hoc exordio posito, Baccellius morbi historiam adgreditur:

« Romagnoli Constantinus tertium supra decimum annum natus, graciliori constitutione praeditus, patrem atque matrem viventes habet, firmaque valitudine instructos. Nescius avorum, nil nec in collateralibus suis quod de hereditaria labe suspicionem indat, patefacit. Insititiis variolis subiectus, quas feliciter exantlavit, nullam aliam pueritiae suetam aegritudinem oppettiit. Non vix anno aetatis emenso, cum patre suo in opificio chartis versicoloribus fabrificandis, quibus cubiculares parietes exornari consuescant, operam dedit: mox febribus ab palustri infectione laboravit, quae iterum iterumque aestiva praesertim tempestate repetebantur, contra quas chiniae salibus non modica per vices dose usus est.

Res ita vertebantur, quum dolore quadam affectus fuit ex intimiori laevo hypocondrio ad iliacam eiusdem lateris cristam extenso, ex quo lecto accubuit, medicumque arcessivit. Hic septem hirudinibus loco dolenti admotis, aegrum deseruit. Aliquod abhinc diebus sibi laevum hypochondrium tumescere persensit, veluti si ex penitiori cavitate tumor elatus excentricam vim exerceret.

Mala isthaec sensatio per dies indesinenter adaucta, pariterque tumoris quotidie elatioris indubitanda praesentia, infirmum egit ad aulas nostras... »

Desribit hic medicus praeclarus accuratissime aegrotum suum ab externo membrorum adspectu, ad respirationem, vocalem fremitum, thoracicam percussionem, auscultationem, abdomen. « Hexagonal nativam formam (hoc) amiserat;

pyriformem e contra... sibi vindicaverat. Eloquens erat mutatio haec. Prope laevum hypocondrium extuberat ita, ut gibba quadam singulari modo conspicuum esse videretur. Extimum abdomini velamentum praeter modum distentum et ferme lucidum, in altiori culmine in plicas omnino nullas, admotis digitis, extolli sinebat. Rami et ramuseuli venosi conferti, caerulei ex superioribus ad inferiores abdominis regiones dirigebantur, uti pariter ex regione sternali atque hypochondriaca ad umbilicum. Venae digito compressae non omnes superius tumescunt. Hepatis area suos normales limites non ferme transgreditur; siquidem in linea para-mammaria tertium supra decimum cum dimidio centimetrum exaequet, in linea paraxillari centimetros quatuordecim. Lobus vero sinister ultra albam quatuor circiter centimetris evehitur. Vix, ex tumenti arcu costali sinistro manus supra mollem abdominis parietem admoveari potest, palpatione instituta, massa solida ingens nonnihil elastica persentitur, quae splenicam regionem adamussim et ex integro tenet et quidem sursum, percussionis ingenio, quindecim centimetris extolli, comperta est. Iterum, ex costali arcu cicatricem umbilicalem versus, tumor inde procedit, eamque tribus circiter centimetris altitudine exsuperat, et margine suo globoso, obtuso, resistenti, irregulari, superius erga hepaticam regionem, quatuor fere centimetris mediana abdominis linea transvecta, protenditur. Huiusc tumoris perimetrum, in sinus atque in globos mira irregularitate conflatum, tentantibus digitis obviam venit.

Tumoris tota superficies locum revera-

non habet, in quo tuberibus compluribus obsita irregularibusque notanda non sit: tamen in tertio medio totius superficie extra modum attollitur. Dolor ubique sub palpatione, qua mitior, qua intensior, excitatur.

In profundis inspirationibus aegri tota massa nonnihil altius agitur deorsumque protruditur; dum inter expirationem quidquam humilius superiusque redit. Pariter, in laterali atque postica abdominis regione, instituta exploratio ad cristam iliacam tumorem hunc iisdemque characteribus notatum detegit; dum, sedulae percussionis ope, dorsalem superficiem altius quam par est tumore occupatam esse liquet. In toto: tumoris mensura triginta quinque centimetris diametrum transversum praebet; verticaliter vero, ex elato diaphragmate ad imum, vigintiquinque centimetris excurrit.

Praeter hanc insignem splenis intumescentiam, alteram sub dextero hypocondrio, per latum intervallum ab elatori descripti tumoris parte, seiunctam, abdomen tentando invenimus. Transversim posita formam habet ovoideam, atque ex superiori ad inferiorem, ex profunda ad superficialem positionem dirigitur. Maximo transverso diametro decem centimetris producitur, verticaliter sex. Hic alter tumor sub palpatione dolens, nonnihil mobilis est, atque scabrosa superficie praeditus reperitur. Percussus obtuse sonat...

Dextero inguini duo parvi tumores columbinum ovum aequantes duri, indolentes imminent ».

Iam vero ad diagnosim aditus fit, quam pro summa sapientia sua clinicus magister subtiliter penitusque absolvit, usque dum se ipsum interroget:

« At splenicus iste tumor quid sibi volebat? Erat necne chronica hyperplasia cum aliqua perisplenii degeneratione? Erat splenitis, parasplenitis, aut eodem tempore utraque? Erat degeneratio amyloidea? Erat splen massis leucohaemicis infarctus? Erat hydatidacus tumor, carcinoma? »

Haec supposita omnia sedulo ac severe investigat, quumque suasum tandem sibi habet de limphosarcomate agi, ex extispicio confirmationem quaerit atque obtinet. Tum denique ad Rindfleischum conversus concludit:

« Histologiam pathologicam nondum in quaestione cancerorum inappellabile iudicium protulisse reor. Dolendum enim esset si Clinices medicae atque Anatomes-pathologicae dissidium, in tanta argumentis gravitate, diutius penderet. Quod si, ut carcinomatis sententia feraatur, necessarium omnino ab Anatomes-pathologicae cultoribus existimetur, alveolarem structuram atque epithelialem typum adesse, tune ab histo-pathologico, iudicium hoc clinicum toto caelo differet.

Quum vero, amice Rindfleisch, tua intima ratio mecum omnino consentiat, tibi munus solvendi nodum prae ceteris accommodatum arbitror; tuaque felicia in argumentum studia id consequutura fore tandem aliquando pollicentur.

Laetor hodie quam maxime quod Tibi rationabilior sententia sit, eamque hisce verbis expromas; scilicet: — Iis lubens accedo quibus verbum *carcinoma* clinicum character essentialiter praebet, quodque anatomice nonnisi *imperfectissime* per structuram alveolarem traducitur. — Vale ».

## Ad Guidum Baccelli<sup>(1)</sup>

*Guide, Tibi vocem vitae per multa potentem  
Dī fecere boni, laurumque dedere perennem,  
Haerentem capiti magna cum laude Nepotum.  
Qui Te donarunt patriae, Dī in saecula servent  
Optima Pieridis moderantem, et grata iubentem.  
Tu iuvenum plausus inter, plaususque parentum,  
Aspera placasti, nuper quibus Itala pubes  
Ardebat, placidusque manu, nutuque serenus,  
Omnia compescens aequo de more Quiritum,  
Et studia, et studii leges, et foedera legum  
Restituis, labique tuo sub nomine mandas.  
Ecquid non speret Duce te tua Roma triumphans?  
Vidi, atque audivi sublustrī noctis in umbra,  
Guide, tuum nomen laudantia spectra per Urbem,  
Flavia seu Moles melius spectanda moveret,  
Sive Agrippanae Thermae, seu marmora prisca  
Sculpta manu, et multo circum quae sita labore,  
Ne fossor raparet, dum fundamenta locabat,  
Erataque, ac oculis, post saecula, reddita nostris.  
Quid moror? Assurgens ima Tiberinus arena  
(Tantum, o Guide, potes, tua Divi ut iussa ca-  
pessant!)*

*Romae reddit opes; seu sint pretiosa metallis,  
Sive opere eximio, quondam sibi credita, quando  
Barbarus instabat portis ferro, igne, rapina,  
Tradit quaeque, tibi assurgens, Tiberinus ab unda.  
Tu ne quid priscum pereat, circumspicis: Ipse,  
Eloquo insignis veterum, Graecoque, Latinoque,  
Assidius libris vigilas, cumulasque recentes  
Antiquis, addisque aulas abacosque; iuventus  
Circumfusa ruit, multum plaudente Minerva.  
Das facile ut noscant populi; concessa potestas  
Attrahit, atque Italas rapiunt mox optima gentes.  
Et super est aliquid. Quantum satis esset ad urbem*

(1) Carmen hoc, in quo res, quas ad bonum patriae Guidus Baccelli gessit, poëticæ recensentur, a poëmate deprompsimus, quod amicus noster, HYACINTHUS DE VECCHI PIERALICE, aliquot ante annos cum latinitatis cultorum magno desiderio vita functus, de regio lyceo, cui nomen a Torquato Tasso, scripsit, ab ipso Guido Baccelli Romae condito.

Romae addis, Phoebusque stupet, quando aureus ora  
Exerit, et plaudit, primaque in luce salutat  
Molem admirandam, qua non praestantior ulla;  
Quippe hominum generi sacro est, aegrisque levandas  
Tota patet, quanta illa patet. Non talia posse  
Credit se Phoebus, quamvis diva arte medendi  
Late sublimis terra celebretur et astris.  
Non Phoebus inferior tu, Guide, illa oppida condis,  
Unde cies morbis nunquam placabile bellum...  
Tu sparsos late, studiis curaque levandas  
Congeris, ut, siquid casus et cura reposcant,  
Omnia ad Hippocratis nutum et praecepta ferantur,  
Unde loco impositum nomen: Polyclinica Moles...  
Ecquid, Pierides tentamus? In omnia numquid  
Nunc speramus iter? Iam crescit carmine noster  
Hic liber, et nondum muris excessimus Urbis!  
Ecquid, si Italianam peragrans ego singula gentis  
Oppida perscruter? Fortasse ea, maxima factu,  
Dicere compos ero, mihi si Deus otia faxit.  
Et faciet; sperare decet. Speramus. Et o! tunc  
Ecquid non dicam?... Duce te, legesque ferente,  
Non otiosa manus ludo pigrescit inertis;  
Sed quae dispositis transtris acceperit aure,  
Haec opere assiduo, seu campo exultet aperto,  
Sive opifex domibus, referet. Puerisque decorum  
Adsit delicium primis quum discit ab annis,  
Non residere diu, sed (quod natura iubebat)  
Gnarus plura, brevi discurrat laetus agello,  
Et glebas patrias (salve, o Saturnia tellus,  
Alma parens frugum!) puerilis dextera ferro  
Tentare assuescat, teneroque ediscat ab aeo  
Quid laetas faciat segetes, quid sospitet uvas,  
Quid reddat germe nuncquam fallentis olvae,  
Quale solum praestet reliquis, quis pinguibus hortis  
Ingeniosus ager. Noscat compescere ferro  
Arboreum populum, docilique infigere spinu  
Omne pyri malique genus, truncusque virescens  
Mireturque novas frondes et non sua poma.  
Gentibus aequa suis nutriendis Itala tellus  
Tunc erit, et vendens genti non serviet ulli.  
Interea studiis armisque assueta iuventus,  
Par agro et castris, et parca vivere mensa,  
Scipiadas iterum dabit. O! date talia vati,  
O Superi, ut videat; date talia pandere versu!

## DE ARMENIA

Erzerumia, caput olim Armeniae septentrionalis, a Russis contra Turcas nuperrime capta est post acerrimam pugnam et cruentissimam utrumque cladem. Quod quum per omnem orbis regionem nunciatur, laeto ubique animo accipitur. Namque ex huiusmodi facto Armenii, diu atrocibus suppliciis tentati, spe reviviscunt, fore ut brevi post tempore et ipsi in libertatem vindicati, inter populorum numerum redire aliquando possint. Haec enim natio in Turcarum servitutem tamdiu redacta, ob suam in Christianam religionem constantiam fecociter torta ac vexata, ad ultimum sane opprobrium compulsa, nullam iam vitae fiduciam habebat: unicum ei solatium pati et mori, ita ut de hac moritura infeliciSSima gente vere aptaretur triste illud praesagium:

Arcta via est verae quae dicit ad atria ritae!

Ipsi autem nuncquam, vel in atrocissimis tormentis, dixerunt se iam satis fecisse officio, satisque supplicii tulisse. Atque tamen Europa omnis « pectore tranquillo... vultuque sereno » identidem accipiebat, Armenios perpeti omnium rerum inopiam, nunc vero paene ut feras circumunitos prohiberi ingressu, neque corpore dolorem neque animo ignoraminiam ultra ferre posse. Itaque se victos confiteri: orare atque obsecrare, si qui locus misericordiae pro ipsis relinquetur, ne ad ultimum supplicium progredi haberetur necesse. Haec quam possent saepe saepius inter atrociora supplicia demississime et subiectissime passim exponere audebant! Sed Europa, praesertim novissimis labentibus annis, nimis suis pressa angustiis atque mo-

lestiis, Armeniorum pericula turpesque vexationes, omnis veluti curae immunis parvi facere ac propemodum contemnere. Quo nomine Armenia iam iam sine Armeniis esse in posterum dicebatur.

Actum itaque erat de nobilissima Armeniorum gente, quae tot saeculis homines manu fortis ingenioque tulerat; quae praeclaros sanctitate viros ac virtutibus genuerat, quorum firmissima religio, fidesque nota omnibus erat summisque laudibus exornabatur, nisi opportune recens Benedicti XV P. M. pietas et pro Armenis adstitisset, suisque filiis tot angoribus obrutis mirum in modum prospexit. Ipse enim unus, et omni humano auxilio exutus, humili sane vultu sed secura fide, quavis utilitate pro se posthabita, Armeniorum causam defendere aggressus est. Turcarum imperatori Ipse libero ore litteras dedit, ut suis tandem parceret Armeniis, quibus nihil erat succensendum quod fidem erga imperatorem recusare voluissent; unum crimen Christiana religio! « Omnes enim Armeni, coopertia aerumnis,—ait,—atque in servile pistrinum omnium tetterimum detrusi, vix aliquam levamenti spem ab herili crudelitate habuere. Singulari virtute ac pietate praediti, quiue fidem suam in Deum egregie liberarunt, lacrimabili exitu, distracti a suis, procul a patria exulatum iverunt. Variae huiusce regionis provinciae variis torquentur cruciatibus. Alii, florente adhuc aetate, suis rebus abstracti, ad arma miserrime coguntur, et dum barbari milites regiones laetiores rapaciter depopulantur, incolae veteres ad Mesopotamiam exules aguntur, suisque urbibus abrepti, ad infeliciSSimam vitam ducendam relinquuntur. Mulieres puerique ignobilis viuae ludibriis damnantur. Nobilissimae urbes absumptae, multi mortales tur-

matim carnificibus obiecti, pars fluminibus marique demersi aut igne hausti. Nihil est tam verendum a quo barbari temperent! Nihil tam foedum quod non admittant...»

Haec verba atque alia, quae Pontifex Maximus, patris munere functus divinoque veluti numine fretus, descripsit, ita Imperatoris animum devinxerunt, ut, memorabile dictu! hic, qui olim ceteris pepercisse ignominiam atque opprobrium esse autumabat, illico crudelem populi cladem interruperit, et humanitatis sensum suis quoque insinuaverit. Namque ex eius auctoritate, vir qui internas imperii rationes curat, omnes Armeniae procuratores monitos voluit, ut humanius Armenios haberent, neve amplius e suis sedibus expellerentur.

Utrum ii, qui Erzerumiam in possessionem suam armis redegerunt bona alia Armenis procuratur sint, videbimus. Quod si fecerint, ex animo plaudemus: id tamen manebit in historia firmum, primum et fructuosum Armeniorum libertatis vindicem Summum Catholicae Ecclesiae Patrem exstisset.

Numquid Ipse, omnium Christifidelium Parens, et aliorum populorum iura defendere, asserere ac tueri nequivit?... FRANC.

## Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum<sup>(1)</sup>

Quotquot illa aetate ingenio litterisque apud Romanos pollebant, ad coœdias praesertim conscribendas se conferebant, ut hac arte facile et nullo prorsus opere a populo noscerentur

(1) Cfr. fasc. I, pag. 12.

atque viam sibi ad gloriam adipiscendam munirent. Pauci omnino tunc temporis libri lectorum manibus terebantur, pauciores propterea qui magni adiudicarentur. Qui vero comoediam scriptitasset, a theatro, veluti e fonte suo, in urbem progrediebatur, ore omnium percrebrescebat, et nomen cum rerum abundantia comparabat. Hinc magna ac perpetua comicorum poetarum seges, quae in illa prima litterarum romanarum aetate maxime floruit et crevit.

Et apud Italos, post Alferii exemplum qui primum sibi locum, patrum memoria, in tragœdiis conscribendis adquisivit, eius mordicus vestigiis insistentes, multi apparuerunt, qui egregie suum ingenium sunt pericitati in tragœdiis conscribendis, atque, ut ita dicam, prima mentis studiorumque stipendia meruerunt. Sic Vincentius Monti, sic Hugo Foscolus, sic Silvius Pellicus, aliique, quorum numerus in immensum crevit.

Horatius eleganter atque argute, qui suus est mos, ne dicat hosce scriptores editos in vulgus esse et lectorum manibus teri, nos veluti per manus in scholam Orbili, magistri olim sui, introducit, ac perbelle eius indolem mordet. Quis autem Orbilius? Servius Orbilius Beneventanus, teste Suetonio, primum apparitor magistratum, dein miles, postremum studiis, quae iam inde a puero non leviter attigerat, repetitis, quinquagenario demum anno Romanam rediit. Is autem fortasse solus fuit, qui propter nimiam antiquitatis admiracionem pueris explicaret Livium illum, qui inter Latino artificiale poësim a Graeciae imitatione profectam primus excusat. Fuit enim naturae acerbae, non modo in antisophistas, quos omnes sermone lacerabat, sed etiam in discipulos, ut Horatius significat eum *plagosum*

appellans, eo quod plagas saepe inferret. Et Domitius Marsus scripsit: « Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit ». Uno verbo, iam in more positum est, Orbilius et doctorem qui pueros crudeliter vexat, unum atque idem sonare.

*Emendata*: ita mentis labore elimata, ut mendae omnes ex eis sublatae sint.

*Dictare*: voce est lente praeire, ut calamo excipientur dictata et, explicata quum sint, memoriae mandentur.

*Exactis*, idem est atque perfectis, ad unguem redactis, ut saepe per exemplum a sculptoribus desumptum Romani dicere solebant de statua undequaque perfectissima.

*Miror*: minime probo, idest longe alia mihi mens est; namque:

*Inter quae verbum emicuit si forte decorum et Si versus paullo concinnior unus et alter, In iuste totum dicit venditque poema.*

*Verbum emicuit*: idest nituit inter alia obscura, et placuit.

*Concinnior*: non solum regulis metris satisfaciens, verum etiam sono ipso auribus gratus, et rebus, quas exprimit, prorsus conveniens.

Sed antequam ad alia enucleanda proficiscimur, optimum factu adiudico, si vos, moneo, lectissimi adulescentes, qui nunc estis dulce mihi onus, mox amplissimum decus, quibus datum est propediem pueros docere litteras atque mores, ut munus vobis permisum cum sapientia perficiatis et suavitate. Longe sit a vobis perpetua illa vultus severitas, quae magistralis passim dicitur, verborum petulantia atque insolentia, quod minime elegantiorum animum addecet, et præ ceteris, etiamsi leges ipsae vetant, cavete ne unus quidem eorum capillus manibus vestris intorqueatur. Ne vos Orbilius appellent!...

(*Ad proximum numerum*).

I. B. FRANCESIA.

## Ingenuarum artium specimina

IOANNIS PETRI SLINGHELAND TABULA, PUEROS EFFINGENS BULLAS EX CAUSTICA SPUMA TRAHENTES.

Ioannes Petrus Slingeland, praefatus Bataviae pictor, Leiden in urbe natus est anno MDCXL, et Gherardi Dou scho-lae addictus, tenaci studio, indefessa opera ac summo labore, quorum mirabile extitit exemplum, magistrum superare ita valuit, ut in suis tabulis, quae Batavicae gentis praecipue mores referunt, admirabilem perfectio-nem sit plerumque assequutus. Earum specimen vestris hodie oculis subiicimus, lectors humanissimi. Simplex pro-fecto argumentum: agitur enim de duabus pueris ad trahendas ex caustica spuma bullas prorsus intentis. Quae au-tem gravitas oris

in illo, qui paleari cannula saponatum excitat; quae ex adverso in femella hilarietas, levium globulorum adscensum digito monstrante! Tota ipsa est in re, neglectis muliebris negotiis adminiculis,



vitae enim deliciae bullarum earum ad instar brevi evanescunt!

Ioannes Petrus Slingeland vita fun-ctus est an. MDCXCI.

X.

## PRO IUNIORIBUS

*Et praeceptores et studia amet adolescentes.*

Discipuli, si modo sunt bene instituti, Praeceptorem amant et verentur (1).

Id igitur praecipue monendi sunt adolescentes, ut magistros suos colant non minus quam ipsa studia, et existiment eos parentes esse, non quidem corporum, sed mentium (2). Multum haec pietas conferet ad felicem exitum studiorum. Ita enim et libenter audient, et dictis credent, et esse magistrorum similes concupiscent, in ipso denique coetu scholarum laeti et alacres convenient: emendati non irascentur, laudati gaudebunt, ut sint carissimi mereri conabuntur. Nam ut praceptorum officium est docere, sic discipulorum praebere se dociles; alioqui neutrum sine altero sufficiet.

Ea maxime cura habenda est, ut praceptor omnino fiat nobis familiariter amicus (3), nec tantum sequatur officium in docendo, sed etiam affectum.

Epaminondas philosophiae praecoptorem habuit Lysim Tarentinum, Pythagoreum; cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem et severum senem anteposuerit in familiaritate omnibus suis aequalibus (4). Neque eum a se dimisit, priusquam ita doctrina antecessit condiscipulos, ut facile intelligi posset pari modo superaturum omnes in ceteris artibus.

Ciceronis filius declaravit ipse hac

epistola ad Tironem, quo amore Cratipum praecoptorem dilexerit (5):

« Seito me Cratippo esse coniunctissimum, non ut discipulum, sed ut filium. Nam cum audio illum libenter publice, tum etiam privatim eius suavitatem vehementer amo. Sum totos dies cum eo, noctisque saepe numero partem: exoro enim ut mecum quam saepissime coenet. Hac introducta consuetudine, saepe inscientibus nobis et coenantibus obrepit, sublataque severitate philosophiae, humanissime nobiscum iocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam iucundum, tam excellentem virum videoas quamprimum ».

Patet autem ex Trebonii epistola ad Ciceronem patrem, qua cura, quaque animi integritate eius filius litteris operam dederit: (6)

« Athenas veni - sic ille -, atque id, quod maxime optabam, vidi, filium tuum deditum optimis studiis cum summa modestiae fama. Qua ex re quantam voluptatem ceperim, scire potes etiam metacente. Non enim nescis quanti te faciam et quam omnibus tuis bonis gaudeam, pro nostro veterrimo verissimoque amore. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare: nihil adolescente tuo, aut potius nostro, amabilius est, ex omnibus iis qui Athenis sunt, aut studiosius earum artium, quas tu maxime amas, hoc est optimarum. Itaque tibi, quod vere facere possum, libenter gratulator. Eum, licet ingressum pleno gradu in ea studia, ad quae tua cohortatione incitatur, cohortari non intermittemus, ut discendo exercendoque se, in dies longius procedat ».

FORFEX.

(1) QUINTILIANUS, I. II, 2.

(2) Ibid., 20.

(3) Ibid., 3.

(4) CORNELIUS NEP., in Epamin., II.

(5) CICERO, *Epist. ad famil.*, XVI, 21.

(6) Ibid., XII, 16.

## De futuris contingentibus

*Ad Ennium.* — Hoc te rogo, ne contrahas aut demittas animum, neve te obrui magnitudine animi sinas! Haec quae Tullius olim scripsit, in mentem venerunt quum tuas perpetuas litteras perlegerem, quas mihi identidem misisti, quaeasitus quo tandem simus evasuri hisce pessimis rerum publicarum temporibus... Quid enim peius, quid gravius nobis contingere potuerit, quam haec malorum colluvies? Sed si praesens est nobis incommodum animosque acriter perturbat, quid erit in crastinam diem? Iuvat tamen tempus compellare, si unquam nobis dulcius respondeat. Scio equidem hisce praesertim temporibus complures adesse homines, qui magno rerum usu docti et quae sint brevi ventura cum praesentibus componant, et omnia quoque felicia in posterum auspicentur.

Quot vates hoc nostro saeculo, quotque vaticinia! Sunt propemodum innumerabilia; et dum inter se se universae Europae nationes mutuis vulneribus lacerantur, ipsi — nescio sint potius vaniloqui adpellandi an stulti, — se divino missos numine autumant, in medium se conferunt, et deliramenta sua veluti oracula caelestia prolaturi procedunt.

Quod optime noveris et Troianis accidisse, quum a Graecis urbs premeretur ac prope ad incitas redacta esset. « Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris ora, Dei iussu non unquam credita Teucris! »

Exardescente bello, quo nunc premimur, quo gravius terribiliusque nullum fuit inter homines, nos curiosius quaerimus, an praedictum quidquam fuerit, an citius spes pacis ac tranquillitatis nobis

adfulgeat. Est et ipsa quaedam malorum requies, animisque remedium!... Si itaque est tibi aliqua futuri noscendi cupidio, si vis ita tibi quid levaminis peccatori producere, libenter incipiam.

Honoris gratia, primam in hoc mentis certamen mulierem quamdam vocabo, quo vulgo appellatur *Madame de Thèbes*. Haud insimulabo pleraque eius effata hactenus evenisse, aliaque passim tempore labente comprobari.

Facinus autem titerrimum, quod omnium malorum primus fons fuit atque origo infanda, ipseque Pii X P. M. obitus, tamquam futura anno saeculi decimo tertio, narraverat; mox vero certissime in proximum adfirmavit, annum illum praedicans magnarum rerum causam. De futuro Austriae imperatore haec habet: « Qui designatus fuit, nunquam regnabit: e contra imperitabit qui et regni gubernaculis longissime erat. Haec fient anno decimoquarto.

« In Gallia — pergit — causa capitis agetur omnium maxima; quae animos populi turbabit agitatque; magnum denique quod nunc insidiose latet, irarum incendium excitabit. Galliam vero quae ad Orientem spectat, atque in primis Lutetiam Parisiorum ignis terrabit; mox bellum adversus extraneos exardescet, et solumnodo post multas gravesque clades Victoria tandem adfulget ».

Haec de Belgis praesagia: « Diutius nimis Belgae vixerunt; longius enim quam quod erat in fatis... ». Multa proximae captivitatis indicia videbat, et vim exterorum pessimam sentiebat ignemque proximiorem atque occasum. Ad haec longe, ultra mare vel in Africa vel in Asia, Belgas multa esse mala passuros. Quam apte illud Ovidii: « Parva quidem periit, sed sine labe domus! »

Et apud Anglos mala futura cernebat bellumque internum atque externum.

Russiam vero adversus Turcas dimicantem adspiciebat, eosque ab Europa repellentem: « In illis enim montibus, in illis agris, ubi terminatur Europa atque incipit Asia, magnum erit pro humanitate certamen; in illis patentibus laetioribus regionibus Illyrici populi Germanos urgebunt, Russique Austriacos propellent: Illyrici enim supereminent atque Germanorum imperium supergredientur. Et quod admirabile videtur, Iaponenses ipsi aliquando ad Europaeam contentionem concurrent... ».


De Italia vero haec habet: « Italica gens in proelium cum sociis aliquando convolabit. Relata denique insigni de hostibus victoria, dominium suum proferet. Haec vero fient, quum vir quidam solitarius ex Arno adparebit (?) ».

Paulo ante fuit qui haec aliaque divino prope modum instinctu, quae temporibus nostris accidentunt, feliciter praesenserunt. Vir quidam graecus, cui nomen est *Nosmas* patriarcha, sic scripsit: « Insulae Ionii, a Turcarum imperio abreptae ante Aegyptum, se se in libertatem vindicabunt. Reges christianam religionem professi, inito bello Turcas ab Europa expellent. Pueri, mulieres senesque in montes se se conferent, dum reges socii Byzantium adgrediuntur. Turcae in tres partes dividentur: altera eorum pars in acie peribit, altera in Asiam perget, ultima vero Christianam sapientiam amplexabitur ».

Sed multo maiora vaticinatus est *Mayence*, vel ab anno 1854 in volumine quod Argentorati edidit: « Veniet dies qua Alsatia atque Lotharingia a Gallia per aliquot annos erunt abreptae. Galli vero modo in se ipsos vim inferent... Vae! tibi, urbs vitiosa ac peccatrix! Ignis et

ferrum erunt post famem et ignem. Eia, viri fideles, estote fortes, et tenebricosum hoc regnum haud poterit sua omnia persecui, consequi... Ecce enim tempus misericordiae proximat... Dux fortissimus adest nobis... Hic erit salvator, prudens, invictus, qui a victoriis suis res memorabit. Ipse ab Gallia hostes repellat: ipse, partis undique victoriis, ad diem divinae iustitiae procedet... *(Ad proximum numerum.)*

SUBALPINUS.



## ANNALES

### Europaeum bellum.

Erzerum, Turcicae Armeniae urbem caput, a Russis acriter obsessam reliquimus; qui tandem, die XVI superioris mensis Februarii, in suam potestatem cum magna praeda redegerunt. Dicunt enim ex mortuis, vulneratis captivisque quadraginta hominum millia a Turcis fuisse amissos; qui inter nivalem procellam arduam aerumnosamque fugam aggredi coacti sunt. Nęque hic malorum apud illos finis; siquidem et ab iisdem Russis sua castra ad Sakhno occupata viderunt in Perside, deinde Kaschan oppidum, denique urbem Kermanschak; atque domi Yussuff Izzedin principem, regni heredem, vita functum. Tradunt ipsum mortem sibi misere concivisse; asserunt alii, quia bello adversum, a sicariis fuisse interemptum. Quidquid de infelici viro fuerit, ex Russorum victoriis, quas supra memoravimus, haud iniuria rei militaris periti coniiciunt, nunc saltem impossibile fore ut Turcae eorumque socii hostile incendium Aegyptum usque proferant.

Ubinam igitur maxime id erit brevi flagraturum? Non profecto in Balcanica regione, dum hinc Graeci, hinc Rumeni neutrius partem adhuc gerunt, et Albanense gubernium, deductis feliciter, Italorum praesertim opera, at non sine aliqua difficultate, Serbiae et Nigri Montis perfugis, Dyrrachium dereliquit et cum Essad illo provinciae administratore Valonam se contulit ab Italies satis munitam. Occidentalis potius latissimi campi regio novissimae caedis locus erit; iamque eventus rem tristissimam docent. Quis enim in diariis legens quae ad Gallicam urbem Virodunum expugnandam miserrima iam per decem dies geruntur, temperet a lacrymis? Sunt ubique, per chilometra quadraginta productae, ex tormentis omnis generis, ex insidiis rui- nae, strages infanda: homines, peius quam boves ad cultrum, coacervatim sternuntur!... O altissime celebratam humanitatem, quam, re, saeva es et crudelis!

Querimur hic rursus et vehementer atrocem illam igniferarum bolidum ab aeronavibus demissionem in inermes hostilium gentium cives, cui et proximo mense minime parsum est, sive ab Austriaeis in Italicas urbes Ravennam, Mediolanum, Modiciam, Bergomum, Ariminum; et ab Italies quoque in Labacum; a Germanis denique in Angliam et Galliam; quanquam laedentes in Gallia laesi magis discesserunt; illorum enim velivolorum octo a Gallis destructi fuere.

Prae hisce eventibus, ceteri nulla ferme nota insignes evadunt; siquidem omnes fere in cuiusque finium defensione a singulis bellatoribus peracta reduci possunt. In mari vero, et... praeter maria, haec memoratu digna acciderunt: Germanicam Africanam coloniam de Came-

run ab Anglogallorum copiis omnino occupatam et sui iuris factam; subaqueam lintrem Germanicam naves quinque Anglicas, ad Tamesis fluminis oram, demersisse; vectoriamque Anglicam navem, itemque Canadensem, in Anglorum mari ante Dover portum, in incendiarios globos per pontum vagantes offendisse, ac misere fuisse absumptas. Pugna denique navalis in Adriatico mari inita est a nonnullis Austrorum navibus prohibere conantibus quominus Itali simul et Galli tum exodus Serbis et Nigri Montis militibus, qui superfuerunt, e Dyrrachio compararent. Exitus infelix Austriaeis evasit.

\*  
\* \*

Ex Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis nunciatum est illud gubernium **Philippinis Insulis** concessisse, ut certis conditionibus liberum sui regiminis arbitrium haberent; a **Mexicana Civitate** publicae rei caput a Mexico ad Queretaro urbem translatum esse; a **Sinis** denique seditiones contra instaurata regiam potestatem ad Shanghai usque provincias manasse.

Kalendis Martiis MCMXVI.

POPLICOLA.



## VACUI TEMPORIS HORA

Iamiam quadragesimale tempus adventat; adventat et ieunium. Super annum Badaiocensem meum misererer, ni timerem ut ob hanc misericordiam is mihi iterum succenseret. Atqui ego nihil habeo carius, quam ut ex lectoribus meis neminem offendam... **De ieunio** igitur pauca hodie dicens, rem in uni-

versum attingam, imo in universorum bonum; siquidem leges de abstinentia, si rectae considerentur, non ad arbitrium latae videbuntur, sed et quae secundae valetudini praesidio sint moribusque tutandis aptissimae. Omnibus autem communia haec et probata sunt, nihil magis adiuvare hominem labori deditum, quam tempestivam abstinentiam; non omnia quae boni suci sint protinus stomacho convenire; huic aliena esse exemplura, ut salsa, iurulenta, pinguia; ad facilem cibi concoctionem materiae genus non minus quam modum pertinere. Equis autem dubitet quin, qui cibis appetendis nimis efferantur, ii neque in reliquis sibi facile temperent; eoque acriores admoveantur faces libidinis, quo quis palato largius ventrique pareat? Quod si plura de hisce argumenta quaeasieris, confer Clementem Alexandrinum (II *Paedag.*, 1) ac Tertullianum (II *in Marc.*, 18), et ipsum Epicurum, qui in epistola ad Menoeceum has protulit sententias, a Diogene Laertio relatas: « Simplicibus et non magnifice paratis cibis assuescere et salubritatis est, et hominem ad vitae usus necessarios impigrum reddit... Non convivia et commessationes, non eorum usus quae affert pretiosior mensa suavem gignit vitam; verum ratio sobria causasque perscrutans cur quaeque vel eligenda vel fugienda sint ».

Consuetudo autem tum ieunii, tum cavendi a quibusdam escis causa religionis, apud Iudeos late invenimus; sed non ita Iudeorum propria fuit, ut cum finitimis gentibus nihil communne haberet. Syros atque Aegyptios constat, exempli gratia, ab edendis piscibus abstinere, fortasse etiam Graecos; siquidem apud Homerum nullum indicium est; creditur vulgo quod pleniore cibo indigerent he-

roicae aetatis fortissimi viri. Aegyptiis Thebanis aries erat in vetitis; ab invectis aliunde cibis aut potionibus abhorrebat sacerdotes, quorum a mensis non modo pisces arcebantur, sed et rapaces aves et ferae separatis ungulis aut terebris plantis. Multi etiam inter eos, quum Iustralibus sese aquis expiarent, ovorum, olerum, leguminum usum sibi interdicebant. Aegyptiis denique universis nefas erat vesci fabis, maximeque subibus, quorum custodiam Socrates, ut est apud Platonem, in numero habebat rerum inutilium, quas immoderatio luxus intulisset; quippe non nisi epulis usui esse possent. Ceterum quinam fama sobrietatis clariores quam Socratici, quorum parens aiebat alios homines vivere ut ederent, sese ideo edere ut viveret? Princeps vero eius auditorum Plato, in praecipua illa epistola ad Dionis propinquos, affirmabat desperare se de Siculorum moribus emendandis, quod bis in die saturi fierent.

Quadragesimale igitur ieunium et abstinentiam adeamus fidenter; quae primis Ecclesiae saeculis Christifideles ita peragebant, ut nonnulli post solis occasum atque herbis tantum et pane vescerentur; quum omnibus sive terrestriis sive aquaticorum animantium carnibus interdicterentur.

Cur autem pisces apud antiquos ut innuimus, vetiti, praecipuus ieunii temporis cibus facti sint, vos videbitis; id unum ego scio, eos saeculo post Christum sexto comedere primum concessum fuisse.

\*

Quas in superiore numero Moderatoris nostri vulgavimus litteras, eae dicuntur aliquot nares corrugasse. Ut hosce nasos viderem mihi in deliciis

fateor fuisse futurum, quod, emunctae satis naris ego vir, ingenium meum ad nasorum quoque studia ultro adduxi.

Si tamen bilem in istos nasos concitam metiri concessum mihi non est palamque adnotare, detur mihi licentia animadversiones meas **de naso** absque fuko, ut soleo, et fallaciis hinc exponere.

Ante omnia duo nasorum genera praecipua exstare satis mihi exploratum est; optumatem nempe, sublimi ponte insignem, et popularem, huiusmodi nota expertem. Sequuntur discrimina minora, stirpem praesertim respicientia; sic Iudei nasum exempli causa, nunquam cum Nigritae confuderis. In universum, nasus e curva linea eaque prominenti propensionem indigitat ac dexteritatem ad imperandum; collitus, e contra, servitutis habitum. Ille *nasus romanus* vulgo dicitur; siquidem imagines, quae de Romanis traditae nobis sunt, ipsum plurumque referunt. Inde hoc sequitur, ut nisi, qui nostris temporibus eo praediti sint, illiusmodi virtutes in cruentis proeliis exercere queant, — (hodie vero heu! si possunt... et faciunt!) — in vitae tamen quotidianis periculis nec sine successu, excolant.

Nasum acutum et deductum *graeicum* appellamus, eiusque victoriae maxime sunt in persequendis et assequendis eximiis formis quibusdam pulchritudinis alta mente conceptis. Inde patet, hunc nasum proprium esse... singulorum *Almae Romae* sociorum et lectorum; quorum ideo nemo praestabit rotundante naso, regressus stasisque signo, virique nobili quovis sensu magnaqua doctrina parentis. Fortasse *doctor ille X et si qui alii sint eius generis per orbem*, huiusmodi naso decorantur; ac propterea non doleo si a nobis se subtrahant, quorum consortio indigni sunt... Utinam vero

ex conscientia sua intelligent retenti tamdiu commentarii pretium sibi solendum esse! Apud eos denique adagium illud revocetur, a nasi arguento non alienum profecto: *Fumantem nasum ne vivi tentaveris ursi!* Et « ursus » *Almae Romae* administrator « in casu » esse poterit...

\*  
\*  
**Iocosa.**

Apud quaestorem fur adductus, ab eo interrogatur:

- Quae tua est ars?
- Contendunt me zonarium sectorem esse.
- Artium quidem pessima.
- Non aedepol! si vigiles deficerent.

Creditor debitori occurrit.

- Salve, bone vir!
- Ave, optume; gaudeo quidem tibi occurrisse; in eo eram ut te convenirem... Quota hora est?
- Hora solvendi est!
- Nimis igitur immatura adhuc. Serius te invisam. Vale.

Abiitque.

\*  
\*  
**Aenigmata.**

**I.**

(Vulgo *Rebus*)

in quo princeps Logicae regula continetur.

— — — ○ ○ ○

**II.**

*Primum secundo simile,  
Utrumque monosyllabum.  
Lector benigne, civitas  
Totum fuit hebraica,  
Cuius — meherele! — nomina  
Rem quae se volvit denotant.*

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Is-ter*; 2] *Mi-mus*).  
IOSFOR.

*Libri dono accepti*

*Inscriptionum latinarum corpusculum quartum.* Exaravit IOHANNES BELLISSIMA, Prof. litterarum latinarum et graecarum in lyceo Senensi. — Senis, ex off. typ. S. Bernardini, MCMXVI.

IXΘΥΣ. *Preghere e letture.* Exaravit VERGILIUS VALCELLI. — Romae edid. F. Pustet, 1916. (Ven. lib. 3).

Can Dott. LUIGI MUSSI, Regio Ispettore onorario dei Monumenti. *Lezioni di storia dell'arte.* Vol. 1 — Indidem.

F. R. C. *Una pagina al giorno,* ossia un pensiero, un conforto, una speranza per ciascun giorno dell'anno. — Edi-

tio V. — Romae edid. Desclée et Socii. (Ven. lib. 1,50).

GIUSEPPE CIUFFA, *L'odierna guerra nell'Apocalisse di S. Giovanni.* — Indidem. (Ven. lib. 2,50).

*Almanacco illustrato delle famiglie cattoliche per l'anno 1916.* — Indidem. (Ven. libell. 0,50).

P. PIETRO BENEDETTI, MISS. S. C. I *Vangeli delle Domeniche predicati al popolo del nostro tempo.* Praefatus est. Emus. Card. ALFONSUS CAPECELATRO. Editio III, Ser. I-II vol. 2. — Indidem. (Ven. lib. 4).

*The Redwood*, Christmas number 1915. Edit. ex Collegio S. Clarae in California, 1915.

**ROMA SACRA****Ex Congregatione de Disciplina Sacramentorum.***Clandestinitatis.*

Quum in nonnullis regionibus, parochi a civili lege graviter prohibeantur quominus matrimonio assistant, nisi praemissio civili connubio, quod non semper praemitti potest, et tamen ad mala praecavenda et pro bono animarum matrimonium celebrari expediat; quidam horum locorum Antistites a Sacra Congregatione de Disciplina Sacramentorum efflagitarunt an et quomodo his in adiunctis providendum sit. Responsum est: « Recurratur in singulis casibus, excepto casu periculi mortis, in quo quilibet sacerdos dispensare valeat etiam ab impedimento clandestinitatis, permittendo ut in relatis adiunctis matrimonium cum solis testibus valide et lecite contrahatur ».

(Ex decr. d. xxxi mens. Ianuarii MCMXVI).

**Ex Congregatione S. Officii.**

*De quibusdam concessionibus pro belli tempore.*

Per decretum d. xi mens. Novembr. MCMXV concessum est ut sacerdotes omnes, qui militibus terra marive, hac perseverante belli vastitate, spiritualibus exhibendis subsidiis assistunt, valeant Crucifixos ex metallo alia-

ve solida materia confectos, unico signo crucis benedicere, eisque indulgentias applicare Pii Exercitii, a S. Via Crucis numerati, ab iis militibus, durante eodem bello, lucrandas, qui aliquem ex praedictis Crucifixis manu gerentes, quinque Pater, Ave et Gloria devote recitaverint, ni viginti, alias praescribi solitas, eiusmodi preces recitare potuerint.

Privilegia et facultates, indulgentias resipientia, sive apud omnes nationes, sive apud aliquot earum, occasione diuturni belli hodieque per Europam grassantis, tributa, nimurum: 1º privilegium Missarum, quae ubilibet in suffragium animarum illorum, qui in bello obierunt (S. C. S. Officij die xxviii Februarii MCMXV); 2º dispensationem a clausula *De consensu Ordinarii*, circa benedictionem devotionalium pro Sacerdotibus, qui inter milites versantur (S. C. S. Officij, iv Februarii MCMXV); 3º et 4º facultatem pro Sacerdotibus militiae adscriptis, impertiendi Christifidelibus apostolicam benedictionem cum plenaria indulgentia in articulo mortis, et applicandi, unico signo Crucis, coronis, crucibus, crucifixis, ss. numismatibus et parvis statuis Indulgentias apostolicas nunquam Indulgentias apostolicas nunquam (S. C. S. Officij, die xvii Iunii MCMXV), extenduntur ad omnes nationes bello dimicantes, usque ad exitum belli valitura. (Ex decr. d. xvi mens. Decembri MCMXV).

**FRANCISCVLI PRANDIUM** (6)

HIPP. — Eia igitur ad mensam accumbito.

FRANC. — Nunquam ante te.

HIPP. — An non tu hodie es inviatus? Primas hospiti...

(*Dum invicem inter sese officia lepide miscent, VINCENTII vox deorsum, ex impiuvio, auditur*): Ecce me, ecce me!

FRANC. — Di boni! Saturio ille revertitur! (*In sellam procumbit*).

HIPP. — Ipsissimum!

VINC. (*extra, adhuc*) — Locum alterum mensae apponite; adsum etenim.

FRANC. — De me actum est!

HIPP. — Propera, surge de ista sella.

FRANC. — Genua succidunt.

HIPP. — Ut ergo te istic sedentem inveniat? Non equidem sinam. (*Auxiliatur ut surgat*).

FRANC. — Ah! sum exanimatus! Nullus sum!.. Dii te perduint, qui ex parata imparatissimam mihi rem fecisti!

VINC. (*introgrediens*) — Auf! Ex cursitatione totus madeo!

FRANC. — (Poteras alicubi pedem offendere, cruraque tibi disruptere!)

VINC. — Gaudeo tamen quod per tempus adveni, atque etiam, puto, praeter exspectationem.

HIPP. — Ita quidem, fateor. At amicus ille quem conveniendum tibi erat?..

VINC. — Quam saepe forte temere eveniunt, quae non audeas cogitare!.. Febris misere eius depascitur artus.

FRANC. — (Utinam febris tuos adureret artus!)

VINC. (*mensam oculis perlustrans*) — Attat! Locus et iam mihi apparatus? Ergo me exspectabas?... Optume qui-

dem: iubet signa inferri consul; eia, Vincenti, age, ad expugnationem!... (*Mense assidet*).

FRANC. — (Ut igitur ego in coquiam redeam? Non sum Francisculus, si de bubone hoc ultionem non sumam!) (*Egreditur*).

VINC. (*Extrahit e chlamyde tabellam, eamque amabiliter Hippolyto proponit*).

— Ante omnia vero, sinas, Hippolyte mi, ut munuscum hoc tibi offeram. Imago est senicularum duorum, quorum animum, nedium tempus, vix mors ab alienaverit. Flores varii, laetissimi, qui eorum capiti fere nimbum efformant, insignem perenni iuventa amicitiam plane indigitant. Sic Dii tibi omnes omnia optata ferant!

HIPP. *oculos tabellae adiicit, et, comovetur.* — (Vix cedo manum, veniamque ei do, quod nos tam moleste obtuderit).

VINC., *Hippolytum videns aegre lacrymas continentem.* — Heus tu, luges?

HIPP. — Seni lacrymae cadunt quasi puer; tu autem tua tabella, tuis floribus animum fodieasti atque delibutum ita reddidisti, ut.... Mane parumper.

VINC. — Eequid nunc?

HIPP. — In bono hospite atque amico quaestus est quod sumitur. Nonne reficiendi sunt flores? Ex cado iussero vini veteris quidquam ad me afferri... Franciscule!

FRANC. (*introgrediens*). — Quid a me?..

HIPP. — In apothecam descende; dolium invenies cum inscriptione hac: Anno....

FRANC. (*rude*) — Litteras atque notas ego minime calleo.

HIPP. — Ah! Novi!.. Ipse vadam; tuque, Vincenti, dum redeam, merum hoc interim praelibare poteris. (*Exit*).

FRANC. — (Praesens adsum praesenti. Instructa sunt mihi in corde consilia multa, multasque machinas sum machinatus; quam admoveam?)

VINC. (*vinum degustans*). — Optimum, hercle!... Biberem usque ad crastinum diem!

FRANC. — (Audeamus!) Numne igitur tu cum domino meo coenabis?

VINC. — O lepidum rogatum! Quis dubitet?

FRANC. — Fatendum est fortē impavidumque animum inesse tibi.

VINC. — Fortē impavidumque animum dicis? Curnam?

FRANC. — Quia certe convenit.

VINC. — Convenit?... Grifhos loquaris, puer.

FRANC. — Quaeso, quam dudum herum meum invisisti?

VINC. — Duobus circiter abhinc annis.

FRANC. — Tum vero non miror: menses duodeviginti sunt, quum primum in malam rem offendit.

VINC. — In malam rem? Quam?

FRANC. — Si ignoras, profecto tacebo.

VINC. — Atqui mutum dices, loquere.

FRANC. — Hui! Oculū effodito mihi, si aliud verbum faxo!

VINC. — Obsecro, dissolve iam me; nimis diu fecisti ut animi penderem.

FRANC. — Id unum habeas, te maximum a fortuna usurpaturum, si hinc exiveris quemadmodum venisti.

VINC. — Davus equidem sum, non Oedipus. Fata resignes.

FRANC. — Dedam consilium catum. Tu ergo tutelam geras, priusquam ille ex apotheca revertatur.

VINC. — Ut mature pedibus perfugium reperiām?..

FRANC. — Si saluti tuae consulere mavis...

VINC. — At qua de causa abeam impransus, dum vacuus mihi venter crepitat, dum exurit acrius ob illius pulli odorem, dum...

FRANC. — Dum... dum... Brevi; ducisne nihil aures tuas?

VINC. — Ridicula aedepol! rogas.

FRANC. — Potes iis valedicere extremum.

VINC. — Probe intellexi, puer: in aëre hodie piscaris.

FRANC. — Me esse mente captum?...

VINC. — Aut certe tricas narras.

FRANC. — Non habeo ullam occasionem ut apud te falso fabuler.

VINC. — Rem igitur verbo tandem libero expediās.

FRANC. — Secreti lege mihi tuam adstringis fidem?

VINC. — Nunquam ad vesperam vivam, si frangam!

FRANC. — Circumspiciamus, ne quis adsit arbiter.

VINC. — Praeter nos, nemo.

FRANC. (*sollemniter*) — Arcana ergo discas: non ego sum, quem autumas; ipsest! (Aleam ieci!)

VINC. — Scilicet, sui impos animi, Hippolytus? (*Assentitur Francisculus*). Vah! Id quod neque est, neque fuit neque futurum est mihi praedicas.

FRANC. — Atqui, ita esse, ut praedico, vero vincas,... ne tamen experto tibi nimium pretium solvendum fuerit!...

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.